



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 58. Imperatoris Theodosii obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

Sæculum IV. *natu, clarissimum genus suum extingu*  
A. C. 395. *patiatur. Illi, qui caput, & supercilia*  
*radere solent, cum Isidi consecrantur, in-*  
*dignum exclamabunt, Christianum Reli-*  
*gionis amore vestitum mutare.*

## §. LVIII.

*Imperatoris Theodosii obitus.*

*Soer. V.*  
*c. ult.*  
*Soz. VII.*  
*c. ult.*

*Claud. de 33.*  
*Conf. Honor.*  
*Theod. V.*  
*c. 25.*

*Ambr. de ob.*  
*Theod. n. 4. 5.*

Theodosium Imperatorem Constantino-  
 polim revertentem, anni 395. initio,  
 hidropisis mortifera invasit, quam ultimi  
 belli fatigationibus contraxerat. Ubi æ-  
 gritudinem sensit, illico S. Joannis Ægy-  
 ptiaci vaticinium in memoriam rediit,  
 certusque se ex hoc morbo decessurum,  
 usque ad ultimum, quæ ad Reipublicæ  
 quietem facerent, disponere non desit,  
 magnos enim tumultus post mortem  
 suam exituros ominabatur. Ambos fi-  
 lios Stiliconis prudentiæ, & fidei com-  
 mendavit; is, Theodosio conciliante, i-  
 psius Neptem, nomine Serenam, duxerat,  
 tuncque statuit Theodosius, ut eorum  
 filia, Maria, Honorio nuberet. Dum Im-  
 perium divisit filiis, hortabatur, ut am-  
 bo sollicite defenderent Religionem, sine  
 qua Regnum stare non posset. Omnibus  
 circa filios compositis, testamentum in  
 bonum populorum condidit. Veniam,  
 iis concessam, confirmavit, qui contra se  
 arma tulerant, cujus veniæ litteræ nec-  
 dum expediri poterant. Etiam tributi  
 cujus-

cujusdam remissionem, quam promiserat, rati habuit; nec satis sibi visum, si utriusque rei executionem filiis mandaret, sed legem in optima forma edidit. Extremas curas utilitati Ecclesiarum impendit. Tandem quietam morte defunctus est Mediolani decima septima Januarii, Olybrio, & Probino Consulibus, id est, anno 395. postquam regnasset sedecim, vixissetque annos sexaginta.

S. Ambrosius orationem funebrem in Ecclesia in officio quadragesimæ diei, Imperatore Honorio præsentem, dixit. In ea mentionem facit ab aliquibus observari tertiam, & trigesimam obitus diem, ab aliis septimam, & quadragesimam, quod & alibi ex antiquitate Ecclesiastica probatur. Partas a Theodosio victorias, præsertim ultimam de Eugenio, sinceræ fidei ejus fuisse præmia asserit. Milites hortatur, ut defuncti filiis inviolatam fidem servent, & non minorem eorum ætatem, sed, quantum defuncto Parenti debeant, perpenderent. Singularem Theodosii Clementiam laudat, cujus effectibus modo tot Rebelles frui gauderent, & actam pœnitentiam, cujus ipse fidelis testis esset. Sperat, defunctum Parentem filiorum suorum juventutis potentem apud Deum Protectorem futurum. Post hæc Theodosii corpus conditum, & Constantinopolim translatum, quod ab Imperatore

Sæculum IV.  
A. C. 395.

Socr. V. c. ul.

n. 3.

Const. Apost.  
VIII. c. 5.  
not. Bened. in  
Ambr. n. 7. 8.

n. 13.

n. 14.

n. 15.

Socr. VI. c. 1

Sæculum IV. ratore Arcadio exceptum, in Cæsarum  
 A. C. 395. sepulchrum octava Nov. ejusdem anni il-  
 latum est.

*Chro. Pasch.*  
 p. 306.

§. LIX.

*Theodosii indoles, & mores.*

*Lib. 4. p. 758.*  
 768. 773.

Ita e vivis abiit Imperator Theodosius, quem omnes Scriptores Christiani, & plerique etiam Gentiles maximis laudibus exornarunt. Solus Zosimus magnos in eo defectus deprehendere potuit; mollem fuisse inculat, & voluptatis plus æquo amantem; commestationibus, saltatoribus, Circi, Theatrique spectaculis nimium indulgisse; *Ita ut valde mirer, inquit: morum ipsius inæqualitatem, nam nulla premente adversitate, qua ad virtutes compelleretur, suam indolem sequebatur, at imminente Reipublicæ periculo, damnatis deliciis, propriæ virtutis, & fortitudinis memor, rursus curarum, & laboris patiens erat.* Altera accusatio Zosimi est, quod pecuniæ Theodosius inhiasset, ut haberet, unde in epulas, aliasque profusiones ingentes sumptus faceret, atque quod Præfecturas, & munera vendidisset, ita ut nummularii, vilesque homunciones publicis Magistratus insignibus fulgere conspicerentur. Multitudinem quoque, & maximum spadonum potentiam vituperat; & profecto negari non potest, immensam Eutropii fortunam huic infi-

p. 754.